



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 2. Doctrinæ, & Disciplinæ capita in hoc Concilio sancita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. A C. 1581. Concilia provincialia, utpote Gallicanæ Ecclesiæ oppido proficua celebrare stantiebant, quin propterea summo Pontifici rem ingratam facere crederent, cum hic merito sperare posset, quod in ejusmodi Synodis etiam potissima ex parte Tridentini Concilii decreta essent recipienda: igitur primum hoc Concilium Rothomagi indicebatur a Cardinale Carolo Borbonio hujus Urbis Archiepiscopo, qui hac de re prius literas dabat ad summum Pontificem, a quo tam pium opus summopere commendabatur, edito diplomate die decima quinta Aprilis Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo: quapropter Cardinalis decretum Fontis - Bellaquei die vigesima septima Septembris edidit, ac Synodum indixit: verum morbo præpeditus Synodum suam prima Adventus dominica, prout constituerat, celebrare haud poterat, unde alterum decretum promulgare, atque Concilium ad Dominicam *Quasimodo*, secundam Aprilis diem anni millesimi quingentesimi octogesimi primi indicere coactus est.

§. II.

Doctrinæ, & Disciplinæ capita in hoc Concilio sancita.

Ipsè.

Ipsemet Archipræsul huic Concilio initium dabat concurrentibus omnibus Provinciæ suæ Episcopis: porro postea in hac Synodo duodecim condebantur decreta, in quibus summam omnia ad dogma, & disciplinam spectantia comprehenduntur, & quidem in primo capite, quod de fide, & religione agit, continetur fidei professio circa Symboli articulos, divinitatem librorum sacri Codicis, septem Sacramenta, cultum, atque invocationem Sanctorum, necnon circa indulgentias &c. In secundo differitur de iis, quæ honorem, ac Dei obsequium generatim concernunt. Tertium pertractat de Sacramentis in genere, atque in specie, exceptis Pœnitentiæ, extremæ Unctionis, & Matrimonii Sacramentis: In quarto fiunt sanctiones de Episcopis, & Capitulis: in quinto statuuntur præcepta de Canonicis, atque in sexto de quibusdam particularibus Episcoporum officiis: in septimo traduntur decreta de sacris Ordinibus: in octavo nonnulla decernuntur de beneficiorum collationibus, in nono autem de Ecclesiarum visitationibus: in decimo differitur de Parochorum officio, atque in undecimo de Monasteriis, & Religiosorum Ordinibus: in duodecimo, ac postremo agitur de Jurisdictione Ecclesiastica. Pariter in eodem

Sæcul. XVI.
A. C. 1581.

Labh. Coll.
Conc. tom. 5.
p. 827. & sq.

Sæcul. XVI.
A.C. 1581. dem hoc Concilio innovabantur statuta jam antea condita circa Scholarum, & Seminariorum regimen, atque erectionem, necnon circa modum eorum redditus impendendi.

§. III.

Dubia ab hoc Concilio Pontifici proposita, hujusque responsa.

Labb. p. 871. Insuper in hujus Synodi actis reperiuntur responsa Pontificis ad tredecim dubia, circa quæ præfati Concilii Patres Papæ consilium expetebant, porro horum primum sedendi Ordinem, ac prærogativam inter Episcopos concernebat, ad quod Papa respondit, *in actibus Conciliorum Provincialium attendendum esse tempus ordinationis Episcoporum, non autem dignitatem, aut Ordinem Ecclesiarum.*

II. Definiebat Pontifex, Abbates commendatores inter ceteros Abbates regulares recipiendos esse, eisque deliberativum suffragium competere.

III. Decidebat *Canonicos Cathedralium Ecclesiarum præferendos esse, quando capitulariter procedunt, Abbates vero benedictos, & qui usum mitræ habent, præcedere commendatarios, ac post hos locum obtinere dignitates, & post dignitates collocandos esse procuratores.*

IV.